

CAPUT I.

Præcipua circa locum imaginum specularium
phænomena enarrans.

§. I.

Distinctius itaq; phænomena hæc consideraturi, primo loco monemus, occupatos nos fore circa illas solummodo apparentias, quas nobis communiora tria speculorum genera, plana videlicet, convexa, atque concava sphærica exhibent; alia, & innumeras, quæ ex his tribus componi possunt species, nunc præterituri. Excludimus deinde illa quoque phænomena, quæ non unius, sed plurium speculorum ope producuntur, utpote quæ peculiarem explanationem requirunt, & de quibus interim videri potest *Schottus* in *Magiæ Universalis* parte *Catoptrica*.

§. II.

Incipiendo autem a planis, utpote omnium communissimis atque simplicissimis, primum, quod omnes tota die cernimus phænomenon, hoc se nobis offert: quod speculum aliquod perfecte planum inspicientes deprehendimus faciem nostram, vel aliud objectum speculo oppositum, post illud, & si recte attendimus, in eo loco apparere, qui æquali plane intervallo a speculo pone distet, ei, quo nos vel aliud objectum a parte anteriore ab eo distamus. Neque id in certis solum casibus, sed semper contingit. Sive oculus noster pone objectum, sive ante illud, sive infra illud, sive supra, sive propior objecto, sive remotior ab eo constitutus fuerit; cumque nullum spatium post speculum esse vacuum quidem